



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Agnes V. 21. Januarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

pervenerunt, quos ipse, quamvis cogitati facinoris minimè ignarus, benignè & accepit & habuit. At illi secundùm sacrificium & preces, hospitem suum necant ingratiſſimi, & ponè caput cereum, uti vivus petierat, statuunt. Is suapte vi accensus, & jam decreſcens, cùm stipulas lectuli comprehendisset, veritus sacrum caput attingere, spontè iterum extinctus memoratur. Corvi interim & ipsi gemini, ac diu è manu Divi diarium accipere soliti, pulchrè se & Patronum suum vindicarunt. Alas quippe & ungues intentando in oculos, & voce, quâ poterant, parricidas clamitando, tandem prædones sunt infecuri, quoad in vincula tandem coniecti sunt, post paulum iterum pœnas corvis daturi. *Ex Suario.*

Si quando animus tuus accepta injuria dolore exarsit, fac tibi Christus Christi q̄ vulnera in mentē veniant, quæ in illa pars hæc sunt eorum, q̄ Dominus tuus perpeſſus est; hac ratione animi dolorem velut aspersâ aquâ extinxeris. Greg. Naz. in sen.

S. AGNES V. 21. Ianuarij.

AGNES è primâ Romæ nobilitate vix dum annos nata tredecim, candidum pudoris florem sanguinis sui purpurâ pinxit. Nam Agno dudum nupta dum oblatum à filio Vrbi Præfetti thalamū longè repudiat, vestibus spoliata in lustrum abripitur, sed mox ab Angelo bono, divinâ luce contra impuros armatur, & veste de cælo data ornatur. Irrumpentem exinde, de quo dixeramus, CHRISTI rivalem, ideoque à malo dæmone suffocatum vitâ iterum donat, & tamen ab Aspasio flammis addicitur, sed quas ad preces vitginis cælestis ros illicò extinxit. Gladio denique trajicitur
nova

noxa urbis Romæ, sed virgo sed, non latro, Lucretia. Porro dum Emerentiana virgo ad AGNETIS tumulum precatur, lapidibus obruta suoque lustrata sanguine (nam fonte sacro non erat) à parentibus AGNETIS prope filiam conditur, quibus non multò post inter candidatum virginum agmen AGNES cum AGNO sponso suo visendam se dedit, vetuitque deinceps mœvere, & eam felicem thalamum, quem optimè nupta inscendisset, lacrimis aspergere. Ex S. Ambr. & Brev. Rom.

Prospiciant sancti Angeli tui certaminis exitum, coronas gemmis coruscantes tenentes in manibus, ut illas perseveranti largiantur. Pudeat te, oro pudeat in conspectu caelestis senatus & Imperatoris aeterni segniter dimicare. B. Iustinian. in fascic. amoris.

S. ANASTASIVS MART. 22. Ianuarij.

○ Prima spolia abstulisse in Persiam se Cosihog putavit, cum Crucem S. abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè multorum fides nostra in animum, simul Crux in oculos venit, interq; eos ANASTASII celebris magni filii, qui cum de Cruce Crucisque anathemate multa curiosè quæreret, jam tum gestiebat magna pati pro maxima patiente Christo. Itaq; sanctissimus transfuga Ierosolimæ Christianum, mox monachum induit; nullâ re sic delectatus; uti res fortiter à Divis gestas legendo, martyribus præferim, quibus ille tot Palmas tyro invidebat, & interea cum sanguinem nondum posset, lacrimas ubertim fundebat. Ut primùm ergo in privato pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultrò hostem laceffens. Igitur ad latomias damnatus saxa tulit, dein verbera. at ille supinus membra etiam nuda lubens pul-
fanda